



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 99. Ingens terror a Delphino Basileensis Synodi Patribus incussus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. XCVIII.

Helvetii a Gallis cæsi.

Sæcul. XV.

A. C. 1444.

Basileenses urbem vallis, fossisque muniebant, collectisque Helvetiorum sex millibus toto impetu in primam Gallorum aciem irruebant; attamen certamine jam ad quartam horam protracto, & quatuor millibus suorum cæsis, reliqui salutem caro satis pretio redimere compellebantur. Delphinus, quia mediam aciem a loco certaminis satis remotam ducebat, pugnantes Gallos præsentia sua animare haud poterat.

§. XCIX.

Ingens terror a Delphino Basileensis Synodi Patribus incussus.

Comperta Helvetiorum clades totam quaquaversus regionem incredibili timore percellerat. Delphinus copias suas Basileam versus promovens, Leprosorum domum unica leuca ab urbe distitam adoriebatur, & octingentos Helvetios, qui illud munimentis firmaverant, una omnes gladio confecit; infausto tamen fato suum itineris ducem in conflictu trucidatum amisit. Insuper valida quædam Helvetiorum manus Basilea erupit, Gallorum exercitum obrutura, ast sinistro Marte dimicans, cæsa fugataque est, desiderata

*Monstrelet. 3**vol. c. i.**Æn. Sylv.**er. 87.**Naucler ge-**ner. 49. p. 469**Hist. Eccles. Tom. XXVIII.*

H tis

Sæcul. XV. AC 1444. tis suorum mille, ac trecentis & amplius captis. Iterata hac clade ingenti Basileensis urbis incolæ, longe majori tamen Patres Concilii terrore perculsi sunt, veriti, ne Delphinus collatis cum Eugenio consiliis, eos, omnesque hujus Synodi socios comprehenderet, captosque abduceret. Quocirca ad hunc Principem suos Delegatos unacum civitatis Oratoribus decernebant, cujus legationis præcipui erant Arelatensis, & S. Calixti Cardinales, unacum quatuor Episcopis, totidem Nobilibus, duodecim Doctoribus, ac pari numero civibus eos comitantibus. Hi omnes Delphinum deprecabantur, ne cum toto exercitu, sed non nisi suis familiaribus stipatus, urbem ingrederetur, vicissim vero pollicebantur, se Austriæ Duci satisfacturos oblatis conditionibus, quas ipse quoque, eo tempore Delphini copiis præsens, gratas ratasque habuit.

§. C.

Fædus Gallos inter & Helvetios.

His ita compositis, exercitus quidem Basilea discessit, fœde tamen agros depopulatus est. Delphinus quinto jam mense in urbe commoratus, concluso cum Helvetiis fœdere, inde profectus est, accepto Regem Nancæi adeundi mandato.